

www.e-rara.ch

[Opera omnia]

Augustinus, Aurelius

[Basel], [1528-1529]

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: AW 57

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-5484>

Liber vicesimusoctavus.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



A V S T V S dixit, Sed non poterat mori, nisi natus esset. Et ego respon-
deo, Nec nasci poterat, nisi deus non esset: aut si potuit & deus esse & na-
sci, quare & non nasci potuerit & mori? Vides ergo utile satis non esse, in
his consequentiam querere, aut argumentis inniti, cum de rebus agitur quae
pertineant ad Iesum. Sed querendum potius est, quid ipse de se, quidque
apostoli de eodem praedicarint. Ipsa quoque adeo pertractanda genealogia est,

Caput I

& uidendum si sibi conveniat, non ex coniectura passionis, natiuitatis eius exquirere verita-
tem: quia & pati non natus potuit, & natus minime pati, praesertim ipsis uobis fatentibus
deo esse impossibile nihil: quod erit & ipsum falsum, si hoc constiterit, non potuisse mori non
natum.

Augustinus respondit, Iterum ac saepe tibi proponis, quod non audis ab eis a qui-
bus confutaris. Nemo tibi dicit, Non poterat mori, nisi natus esset: quia mortuus est Adam,
quamuis natus non fuisset: sed dicitur tibi, Natus est, quia hoc sanctum euangelium, non nescio
quis haereticus loquitur: mortuus est, quia hoc in sancto euangelio, non in libro alicuius haer-
etici legitur. Sed tu qui prohibes argumentari, cum de rebus agitur, quae pertinent ad Iesum:
& querendum censeres quid ipse de se, quidque apostoli sui de eodem praedicarint: cum ceper-
o Matthaei euangelium recitare apostoli eius, ubi narratio natiuitatis eius tota contexitur,
continuo dices illam narrationem non esse Matthaei, quam Matthaei esse dicit uniuersa ecclesia,
ab apostolicis sedibus usque ad praesentes episcopos, certa successione perducta. Tu mihi quid
contra lecturus es? Aliquod forte librum Manichaei, ubi Iesus negatur esse natus ex uirgine. Si
cut ergo ego credo illum librum esse Manichaei, quoniam ex ipso tempore, quo Manichaeus ui-
uebat in carne, per discipulos eius certa successione praepositorum uestrorum ad uestra usque
tempora custoditus atque perductus est: sic & istum librum crede esse Matthaei, quem ex illo
tempore, quo Matthaeus ipse in carne uixit, non interrupta serie temporum, ecclesia certa con-
nexionis successione usque ad tempora ista perduxit. Et dic mihi, cui libro potius credere debeat-
mus, eius ne apostoli, qui Christo, cum adhuc in terra esset, adhaeserat: an nescio cui Persae,

Caput II

qui tanto post natus est? Sed alium forte profers librum, qui nomen habeat alicuius apo-
stoli, quem a Christo constat electum, & ibi Christum natum ex Maria non esse, lecturus es.
Cum ergo necesse sit alterum horum librorum esse mendacium, cui nos potius censeres fidem ac-
comodare debere? Ei ne, quem illa ecclesia ab ipso Christo inchoata, per apostolos proue-
cta certa successionum serie, usque ad haec tempora toto terrarum orbe dilatata, ab initio tra-
ditum & conseruatum agnoscit atque approbat: an ei, quem eadem ecclesia incognitum repro-
bat, cum etiam proferatur ab hominibus ita ueracibus, ut Christum laudent esse meritum?

Hic diciturus es, genealogia ipsa consideretur duorum euangelij librorum, utrum sibi
conueniat. Iam hinc alibi in hoc opere diximus, quod dicendum fuit. Neque enim uos mouet,
nisi quemadmodum duos patres potuerit habere Ioseph. Quod si cogitantibus non occur-
risset unus qui genuit, alius qui adoptauit, nec sic facile debuistis aduersus tantam autorita-
tem praeproperam proferre sententiam. Nunc uero si uel admoniti cogitatis quam hoc fie-
ri potuerit, euangelio simpliciter credite, & uos potius tam male ac peruerse argumentari de-
sistite.

Caput III

Quod autem putat querendum esse Faustus, quid de se Iesus ipse praedicaue-
rit, cui non iustum uideatur? Sed nunquid hoc sciri potest, nisi discipulis eius narrantibus?
Quibus si non creditur annuntiantibus, quod de uirgine natus sit, quomodo eis fides ha-
bebitur, annuntiantibus quod de se ipse praedicauerit? Si enim prolatae fuerint aliquae lit-
terae, quae nullo alio narrante, ipsius proprie Christi esse dicantur: unde fieri potuerat, ut
si uere ipsius essent, non legerentur, non acciperentur, non praecipuo culmine autoritatis
eminerent in eius ecclesia, quae ab ipso per apostolos succedentibus sibi met episcopis, usque
ad haec tempora propagata dilatatur: multis in ea iam completis, quae ante praedicta sunt,
& usque in finem quae restant, sine dubio futuris atque uenturis: quia & illae litterae si profer-
rentur, utique considerandum erat a quibus proferrentur. Si ab ipso, illis primitus sine du-
bio proferri potuerunt, qui tunc eidem cohaerebant, & per illos etiam ad alios peruenire.

Caput IIII

Quod